



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

**Luxemburgi, MDCCXLII.**

XLIII. Declaratio quod Cistercienses absque scrupulo conscientiæ possint  
vesci carnibus intra, & extra septa Monasterii, cum non sit de substantia  
Regulæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](#)

ANNO  
1657.

ALEXANDER SEPTIMUS.

59 ANNO  
1657.

XLI.

Prohibitio extrahendi libros, & quæcumque alia ex Bibliotheca Conventus S. Martini Eremitarum S. Augustini Civitatis Senen.

Consimiles prohibitions aliorum Summorum Pontificum pro Conservatione Bibliothecarum invenies in Repertorio verb. Bibliotheca.

Edita An. D.  
1657.

ALEXANDER PAPA VII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Supplicatio.

Cum sicut Ven. Fr. Ambrosius Episcopus Porphirien. Sacrae Nostri Apostolici Praefectus Nobis nuper exponi fecit, ipse, qui habitum per Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini gestari solitum alias suscepit, & professionem per eodem emitti confuetam expresse emitit regulares tempore, quo in Conventu S. Martini Civitatis Senen. ejusdem Ordinis degebatur, nedum ad usum, & commodum dicti Ordinis professorum, sed etiam concivium suorum Senensem unam insignem Bibliothecam copiosa multitudine librorum, picturarum, numismatum, seu monetarum ex auro, argento, & metallo, & altiarum antiquitatum refertam congesserit, vereatur autem ne tractu temporis ex Bibliotheca hujusmodi aliqua subtrahantur.

Absolvit  
Oratorem à  
censuris.

§. 1. Idcirco Nos conservationi, & manutentioni librorum, altiarumque rerum dictæ Bibliothecæ opportunè prospicere, ipsumque Ambrosium Episcopum specialis gratia favore prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penitentia jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latiss., si quibus quomodolibet innodus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequent, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter correctis inclinati.

§. 2. Universis & singulis personis Ecclesiasticis tam secularibus, quam Regularibus, ac etiam Laicis cuiuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus ne perpetuo futuris temporibus sub quovis praetextu, causa, vel ingenio per se, vel alium, seu alios è prædicta Bibliotheca Libros, five typis editos, five manuscripts, necnon picturas, & antiquitates hujusmodi in eadem Bibliotheca nunc, & pro tempore existentes extrahere, asportare, & tollere, seu extrahi, asportari, & tolli facere, aut ut extrahantur permettere quoquomodo audeant, seu præsumant, sub excommunicationis latæ sententiæ à qua nem o nisi à Nobis, & Romanis Pontificibus Successoribus Nostris, præterquam in mortis articulo constitutis absolvit possit, & insuper quoad Regulares etiam privationis vocis activæ, & passivæ eo ipso absque alia declaratione incuren. penitus Apostolica auctoritate tenore præsentium interdicimus, & prohibemus. Necnon prædicto Ambrosio Episcopo quoad vixerit aliquem ex Fratribus dicti Conventus in Prefectum, & Custodem dictæ Bibliothecæ pro suo arbitrio deputan. & constituen. illumque toties quoties ei placuerit, amoventi, & variandi facultatem eidem auctoritate, & tenore concedimus.

Contrariais  
derogat.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Conventus prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboris statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod præsentis prohibitionis copia in valvis dictæ Bibliothecæ, vel aliquo alio

conspicuo loco, unde ab omnibus legi possit, continuo affixa remaneat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 2. Octob. 1657: Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Dat. P. An. 3.  
die 2. Oct.

XLII.

Concedit Indulgentiam plenariam omnibus personis tam Regularibus, quam Secularibus quæ per octiduum vacabunt exercitiis spiritualibus in Domibus Societatis Jesu.

Consimilem Indulgentiam concessit pro Fratribus Regularis observantia S. Francisci, ac Reformat. Const. 65. Cum sicut &c. infra.

ALEXANDER PAPA VII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Edita An. D.  
1657.

Supplicatio.

Cum sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus Goswinus Nickel Praepositus Societatis. Iesu persona ejusdem Societatis quotannis, & plerunque plurimæ aliae five Ecclesiastice, & aliorum Ordinum, & Congregationum Regularium, five laicæ exercitiis spiritualibus à S. Ignatio dictæ Societatis Fundatore institutis in domibus ejusdem Societatis per octiduum vacare consueverint.

§. 1. Nos, qui probè scimus quantopere conductum exercitia hujusmodi dirigendis in viam Domini, & confirmandis in illa Christifidelium mentibus devotionem eorum, qui operi adeò pio, & salutari vacaverint, coelestium Ecclesiæ thesauros elargitione magis incitare volentes, de Omnipotenti Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus, & singulis Christifidelibus tam prædictæ Societatis, aut cuiuscumque alterius Ordinis, & Congregationis Regularibus, quam aliis quibuslibet Ecclesiasticis, & laicis qui in domibus memoratae Societatis exercitia prædictæ juxta laudabilem ejusdem Societatis consuetudinem per octidui spatiū quodcumque peregerint, & interea temporis verè penitentes, & confessi Sacrosanctum Eucharistia Sacramentum sumpserint, quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§. 2. Præsentibus in perpetuum valitatis. Volumus autem quod si pro impetratio, præsentatione, & admissione, seu publicatione præsentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, eadem præsentes nullæ sint eo ipso: quodque earumdem præsentium transsumptis etiam impressis, manu Notarii publici, vel Secretarii dictæ Societatis subscriptis, & sigillo persona in dignitate Ecclesiastica constitutæ, vel Praepositi Generalis Societatis prædictæ munitis eadem prorsus fides adhibetur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibita, vel ostense.

Transsum-  
ptis credi juc-  
bet.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Dicec. sub Annulo Piscatoris die 12. Octobris 1657. Pont. Nostri Anno tertio.

D. P. An. 3.  
die 4. Octob.

XLIII.

Declaratio quod Cistercienses absque scrupulo conscientia possint vesci carnibus intra, & extra septa Monasterii, cum non sit de substantia Regulae.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita An. D.  
1657.

*Ad futuram rei memoriam.*

Exordium.

In supremi Apostolatus fastigio meritis licet imparibus Divina dispositione constituti, ad

ca

ea quibus Christifidelium sub suavi Religionis jugo vota sua Deo reddere satagentium quieti, & conscientia securitati confulitur propensis studiis intendimus, ac defuper credita Nobis cœlitus dispensationis partes interponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

**S. 1.** Cum itaque sicut dilectus filius Procurator Generalis Ord. Cisterciens. Nobis nuper exponi fecit, licet dudum fel. rec. Sixtus Papa IV. Prædecessor Noster per suas anno Incarnationis Dominicæ 1475. Idibus Decembri sub plumbō expeditas Literas abstinentiam à Carnibus de substantialibus Regulæ quam Monachi Ord. hujusmodi profitentur, non esse declaraverit, & Capitulo Generali, illoce cestante Abbatii pro tempore existenti Monasterii Cisterci ejusdem Ord. cum quibuscumque Abbatibus, Monachis, & Monialibus, ac aliis personis ipsius Ordinis tunc præsentibus, & futuris, secundum discretionis eorum arbitrium, & conscientie judicium (super quo eorum conscientias oneravit) quandocunque, & quotiescumque necesse eis, seu alteri ipsorum videretur, per se vel alios dispensandi, ac eis licentiam concedendi, quod carnibus etiam extra Monasteriorum septa in quibuscumque locis, absque alicuius poenæ incursa, aut conscientia scrupulo vesci, & uti possent, plenam, & liberam facultatem, licentiam potestate, & auctoritatem concederit, & indulserit, Capitulumque generale d. Ord. de Anno 1481, celebratum in vim, & executionem Indulti hujusmodi in omnibus Monasteriis ejusdem Ordinis generaliter estum carnium permiserit, ac certis diebus ad fervandam uniformitatem cum omnibus Religiosis ipsius Ordinis dispensaverit: recol. quoque mem. Alexander PP. VI. etiam Prædecessor Noster per suas pariter sub plumbō Anno Incarnationis Dominicæ 1498. octavo Idus Novembri expeditas Literas Cisterciensibus Reformatis Hispaniæ, ut carnibus juxta ordinationem per Abbatem Cisterci. & Capitulum generale Ordinis hujusmodi factam liberè, & licite, & absque aliquo conscientia scrupulo vesci valerent, similiter concederit, totusque Ordo prædictus ubique diffusus in tali usu, & consuetudine à centum septuaginta sex, vel circiter annis citra existat: quidam nihilominus Monachi memorati Ordinis in Gallia, abstinentes nuncupati super hoc puncto Regulæ sufficienter per præmissa dispensatum non esse, nec generalem usum hujusmodi modo supradicto introductum licitum esse contendentes, multorum, qui strictorem Observiam, excepta sola à carnibus abstinentia, sicut præmititur relaxata juxta definitionem ultimi Capituli generalis Cisterci de anno 1651. celebrari profitentur, conscientias turbent, indeque dissensiones, contentiones, & lites non sine maximo Religionis dispendio orientur, & oriture timeantur. Nobis propterea idem Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apost. dignaremur.

**S. 2.** Nos igitur ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa lati si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequen, harum serie absolvem. & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum, qui rem sèpius considerarunt, maturèque disculperunt, consilio, Monachis Cisterciensibus prædictis tuta conscientia liceisse, & licere uti dispensatione prænarrata super eu carnium per Capitulum generale Ordinis hujusmodi Apostolica au-

toritate concessa, ac diuturna consuetudine comprobata auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, eamdemque ad tranquillandas conscientias, scrupulosque sedandos benignè approbamus, & quatenus opus sit denuo concedimus, & indulgemus.

**S. 3.** Non obstantibus in contrarium deducatis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostoliciis, necnon d. Ordinis, ejusque Monasteriorum, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboris statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmisitorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo labore permanens hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contraria quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Novemb. 1657. Pontificatus nostri Anno tertio.

Dat. P. An.  
3.die10.Nov.

Ad Archiepiscopos, & Episcopos Poloniæ, & Lituaniæ, ut congregent Synodos pro reparacione Divini cultus.

*Synodus semel liberè acta, nusquam retrahatur, & ab ea deviantes damnati censentur, Gelasius I. Constit. 1. S. 17. tom. 1.*

**ALEXANDER PAPA VII.**  
*Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Edita An. D.  
1657.

**G**ravibus, & luctuosis temporibus clarissimorum gentium vestiarum, quæ Catholica Religionis studio, & generoso pectorum objectu Reipublica Christiana aduersus immanes infissimorum hostium vires jamdiu præsidio, ac propugnaculo sunt, ex animo prorsus indolimus; & qua precibus ad Deum, qua paternis curis omnibus auxilium, & opem ferre, quantum fieri potuit, profectò curavimus.

**S. 1.** Nunc sècum illum turbinem, licet perculis, & labefactatis, flantibus tamen rebus concedisse plurimum sanè gavisi sumus; tamque insignis beneficii auctori misericordiarum Patri Deo laudes, & grates etiam publicè egimus. Sed ingenti gaudio, quo mens Nostra completur, magnus letitiae cumulus accedit ex concordi zelo, & constanti virtute Fraternitatum Vestiarum, quæ, ut Nobis Venerab. Frater Episcopus Laudenfis Nuntius Apostolicus non semel retulit, in tantis procularum fluctibus vel sustinendis, vel etiam sedandis, insigniter enituit.

**S. 2.** Quare agite, Venerab. Fratres, pergitte laboranti adhuc Patriæ tam necessario tempore subvenire; etenim quo tantæ clades majorem calamitatem rebus omnibus intulerunt, eo magis vobis entendum est, ut Catholica Religionis rationes, Ecclesiarum jura, & morum disciplinam pro virili sustentetis, ac restitutatis; quod equidem, beneficente Domino, & piissimo Rege, cui sanè instamus, favente, futurum credimus, si in eam rem toto ex corde, & omnibus Pastoralis sollicitudinis officiis serio incubueritis.

**S. 3.** Cum autem Episcopi munus omne duabus illis Visitationum, & Synodorum capitibus vel præcipue contineatur, ad hæc potissimum studiosè, & accurate peragenda Fraternitates

incubuerint. Hoc ideo quod amantibus,

quam

Absolvit  
Oratorem à  
censuris.

Exordium.